



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

II. De mutuis Locatoris, & Conductoris obligationibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

netur succedens in maioratus bonis. Nec Beneficiarius de redditibus, secus de bonis si debita seruata est solemnitas.

7. Quandōnam res locata perit domino, quandōnam autem conductori? Perit quidem domino, si casu fortuito pereat, nec conductor tenetur. Cessante autem periculo ex bello, peste, aut alia re, habitandi domum, tenetur conductor continuare. Si verò conductor non vtatur operis conductis ob impedimentum sibi superueniens, tenetur ad pensionem integrè soluendam. Si res verò locata locantis culpa perit, hic tenebitur ad omnia damna. Locans opera & non laborans, tenetur reddere stipendum. Ex culpa autem lata, & leui obligatur. Conductor verò non tenetur de leuissima, nec de casu fortuito, nisi pactum de illo esset.

C A P V T I I .

De mutuis locatoris, & conductoris obligationibus.

8. Quidam locatoris, pensio soluenda? In fine anni de iure communii, nisi aliter conuentum esset, aut ferret consuetudo. Pro ea autem censentur obligati fructus separati in prædio, & res in præmium inductæ animo, ut ibi sint; quando durauerit conductio: si extrahantur, etiam tacite hypothecatæ censentur.

9. Quid de pensione in sterilitate? Si conductor nihil colligat remittenda pensio est, seclusa alia conuentione. Si magna sterilitas, aliquid remittendum, non si modica. Magna autem quandōnam censemitur? Cum detracto semine, & expensis, non superest quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni. Augenda ne, si ex r. inaria ubertas? Ita equidem, nisi ex proprio statuto aliud haberetur.

10. Potest ne conductor expelli tempore locationis finito? Potest. Censetur verò terminus prorogatus, si sciente locatore conductor in locatione persevereret. Potest ne expelli ante tempum? In nonnullis casibus potest. v.gr. si pensionem non soluar; si causa superueniat locatori ob quam res locata necessaria sit; si egeat necessaria refectione, si conductor re locata aburatur.

11. A quoniam facienda rei locata expensa necessaria? A locatore. Quod si fecerit conductor, potest illas in soluenda pensione compensare.

12. Quotnam verò sunt locatoris obligationes? Quinque. 1.

Dd 4

Vt

424 *Moralis Theol. Tract. III. Iustitia,*

Vt det rem locatam conductori ad usum, & fructum. 1. Vt soluat impensas necessarias. 2. Vt vitium occultum, aduersus scilicet rei, ob cuius gratiam res conducta est, patefaciat. 4. Vt damna sua culpa secuta resarciat. 5. Ne rem locatam ante tempus repeatat.

13. *Quoniam item conductoris obligationes?* Etiam quinque. 1. Vt suo tempore mercedem soluat. 2. Vt re locata non varietur, nisi prout conuentum fuerit. 3. Vt restituat finito tempore. 4. Ne deserat aulque causa rem locatam ante tempus. 5. Vt reddat integrum, sicut accepit.

14. *Quoniam denique ex locatione actiones?* Due sunt. Prima dicitur actio ex locato competens locatori aduersus conductorum, vt soluat mercedem; quod si non faciat, soluat etiam usurias. Secunda est actio ex conductoru conueniens conductori aduersus locatorem, vt det rem locatam, & quidquid interest conductori, si per locatorem steterit.

15. *Tempore finito potest ne conductor in iustus retineri?* Minime. *Quoniam autem modo finitur tempus locationis?* Tripli ratione finitur, & mutuo consensu, & temporis lapsu, & si res locata pereat.

16. *Sola ne taciturnitate locatoris, tempore finito, renouari locatio?* Ali quando quidem sola patientia & taciturnitate locatoris potest renouari.

C A P V T I I I .

De famulorum Mercede.

17. *Vustum famulorum stipendum assigna.* Illud quidem iustum est stipendum, quod passim eō loci iis tribui assolet, ita ut non sit minus infimo, nec maius supremo.

18. *Vti nefamulus occultā compensatione potest?* Non, nisi constaret mercedem constitutam esse iusta infima minorem, vel aliter integrum non valeat recuperare.

19. *Potest ne minus infima aliquando esse, & tamen iustum?* Ita quidem, v. gr. si solū ad preces famuli herus conduxit, vel famulus sponte remittat ad herum alliciendum.

20. *Quoniam famulo debita sustentatio?* Ea quidem, quae similibus famulis assolet conferri.

21. *Quid de opifice famulum ad artem ediscendam suscipiente?* Tenetur illū non impedire, & occupare in aliis operibus.

22. *Qui*